

Nechutová, Jana (editor); Malá, Jana (editor)

Básnické skladby v originálním latinském znění

In: Hus, Jan. *Mistr Jan Hus v polemice a v žaláři : překlady, komentáře a poznámky*. Nechutová, Jana (editor); Malá, Jana (editor). Vydání první Brno: Filozofická fakulta, Masarykova univerzita, 2019, pp. 178-182

ISBN 978-80-210-9323-2; ISBN 978-80-210-9324-9 (online : pdf)

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/141445>

Access Date: 29. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

BÁSNICKÉ SKLADBY V ORIGINÁLNÍM LATINSKÉM ZNĚNÍ

1. In Ioannem Hus Exodion⁶²⁸

<Závěr officia ke cti Jana Husa>

*En proprium vatem divisa⁶²⁹ Boemia sacris
Edidit in Latios concita terra viros.
Ordinis antiqui non nescius ipse superbum
Dixit pontificem, maxima Roma, tuum,
Divicias, luxum Cristi non esse ministri,
Sed neque cesareum vertice ferre decus.
Moribus optavit meliorem reddere clerum,
Vinceret ut priscum religione Numam.
Verba movent animos Romanaque curia sevit
Et vatem flammis gens male sancta tradit.
Inmeritam vatis vidit Constancia mortem,
Quid pia mens celos ingeniumque petit.*

628 FRB VIII, s. 437.

629 *divisa: divina* Novotný.

2. Epitaphium Ioannis Hussii apostoli ac martyris Christi Iesu⁶³⁰

*Ille renascentis verbi sine labe fidelis
Praeco, bonus vita dogmatibusque bonus
Hussius, aeterni servus syncerus Iesu,
Nomine pastoris dignus apostolici,
Praeceptor Pragae generati Hieronymi et idem
Docto Wiclefi de grege discipulus,
A Constantiensi synodo combustus, Olympum
Mente adiit, cineres ossaque Rhenus habet.
Christe, Bohemorum genti concede, perenni
Ut studio cantus Anseris huius amet.*

3. In icona Ioannis Hussii sancti martyris⁶³¹

Dva veršované komentáře k vyobrazení Husova upálení

*Haec fuit effigies quondam venerabilis Hussi,
Dum sua pro Christo membra cremanda dedit.*

*Albicolas niveo vincens candore volucres,
Salve Boioemis, Anser amande, tuis!
Te manet aeternum decus et memorabile nomen,
Quod furor ac aetas tollere nulla potest.
Atra licet cornix, furtivis abdita pennis,
Candorem spurco vellicet ore tuum,
Nulla sed est Boemis nec erit praestantior ales,
Conferri viva quae tibi voce quaeat.
Grex avium vanis oblectat cantibus aures,
Tu mentes niveo pectore et ore pias.*

630 FRB VIII, s. 475.

631 FRB VIII, s. 475.

4. <Conradi Celtis versus Hussiani>⁶³²

Verše, jež Husovi věnoval Konrád Celtis

De rogo Ioannis Hus

*Conflagras vivo lacrimabilis hostia busto,
Cerbereoque datur umbra voranda cani.
Bemorum sed templa tuas amplissima laudis
Concelebrant supero te socianda Iovi.
Dic mihi, quo tandem possim cognoscere verum,
O princeps Latii splendide concilii.*

Cavillum Bemorum in Romanum pontificem

*Dum Latiale caput nostram exsecraverat oram,
Et nullo, dixit, germine terra vire,
Nullaque sit Bemis fecundi femina partus
Intententque graves sidera moesta lues,
Tanta fuis Bemis foecundi copia Bacchi
Et tanto tellus foenore dona tulit,
Ut vix maturas caperent plena horrea messes,
Et cunctae matres pignora trina dabant.*

5. Hussi de Luthero vaticinium⁶³³

Husovo proroctví o Lutherovi

*Romana quando pontificis cohors
iussit Bohemi corpus et agnitam
ob veritatem fata fortis
Hus subiturus erat per ignem.*

*„Non impiorum dogmata perfidus“
dixit, „probavi. Credite, talibus
doctrina sustolenda vobis
suppliciis mea non fuisset.*

632 FRB VIII, s. 473.

633 FRB VIII, s. 474.

*Sed vis iniquum vestra potentior
in me furorem compleat. Hic ego
vultu per ardentis favillas
impavido patienter ibo.*

*Non usitata vel dubia ferar
spe, quam mihi non praeripient malae
fraudes. Nec in terris morabor
longius, impietate plenum*

*mundum relinquam. Non ego, ceu caput
pinxistis, inferno rapiar malo.
Magna fide mortem levabo,
nec Stygiis cohibebor undis,*

*sed me beatum sedibus inferam
coelestibus: vos per decies decem
annos Deo responsa tandem
atque mihi dabitis sepulto.*

*Cernitis album non procul alitem,
qui iam crematum vendicet Anserem,
cygnus truci non ille vestrae
fulmine concutietur aulae.*

*Hic ocyor quam Triptolemi rotae
seu Daedali pennae celerem feret
cursum per auras, hunc ruinae
intrepidum ferient minaces.*

*Olim lares Romae Senones velut
caepere, Mars autor nec opem tulit:
sic impio Romam tumentem
iustitiae titulo movebit.“*

6. Verše Hieronyma Treutlera ze Svídnice⁶³⁴

*Anser eras, et te Romana caterva cremabat,
Quod nimis obstreperus pontifici anser eras.
At tua vindicias habuerunt fata, repertus
Nempe fuit, quem vox summa canebat, olor,
ignis corpora sacra sacri consumerat Hussi,
Post Hussum caeco cygnus in orbe canit.⁶³⁵
Constantem inconstans Constantia sustullit Hussum,
Pro Christo ardentem cum subit ille rogam:
„Anni abeant centum, causam Christoque mihi que
Dicetis, cygnus cum anseris ultor erit.“*

634 FRB VIII, s. 479.

635 Chronogram: dvojverší *ignis – canit* skrývají letopočty 1414 a 1517 („IgnIs Corpora saCra saCrI
ConsVMerat hVssI, / post hVssVM CoeCo CyCnVs In orbe CanIt“).